

que nobiles viri plures interfecti sunt. *Manegoldus* etiam *Comes* cum non paucis cecidit. Prælium hoc die XV. Calendas Septembris factum esse Wippo tradit. XVI. Calendas Septembris Hermannus Contractus hic nominat, qui et *Manegoldum* Augiæ sepultum esse affirmat. Hic est *Manegoldus*, quem Notitia Richardi *Ducem* perperam appellat. Cum vero is nunc Ernesti motibus invigilaret, non video, quomodo Romæ in conventu illo fictitio præsens esse potuerit. Hermannum *Ducem* Alemanniæ anno 1038. obiisse Hermannus Contractus et Annalista Saxo tradunt, hocque confirmatur ex Necrologio Fuldenſi, in quo legitur : *MXXXVIII. Hermannus Dux ob. Non. April.* Post ejus mortem *Ducatus Alemanniæ* ab Henrico III. Rege retentus, et demum anno 1045. *Otoni Comiti Latino*, filio Ezonis et Mathildis, collatus est, ut Hermannus Contractus indicat. Otto hic vita excessit anno 1047. ut iterum ex eodem Contracto et Annalista Saxone scimus, et in ejus locum *Otto Marchio de Svinvorde, Marchionis [Austriæ] Heinrici ex Gerberga Marchionissa filius, surrexit*, ut Annalista Saxo loquitur. Hoc etiam teste, anno 1057. *Otto de Svinvorde Dux Suevorum IV. Kal. Octobris obiit, et in Svinvorde cum parentibus suis sepultus est. Ducatum ejus Rodolfus de Rinvelden, cui deßponsata fuit soror Regis, obtinuit.* Hic est *Rodolfus Dux*, quem testem Notitia Richardi Abbatis anno 1030. fuisse fingitur. Putidum igitur illa Notitia hominis otiosi et impostoris commentum est, ut quivis agnoscat, qui vel primis labris historiarum studia degustavit.

### XXXVI. Pagina 90. refert, Clementem PP. II. *Monasterium S. Andreæ Romanum* Roingo Abbati ejusque Monasterio donasse. Sed

Bullam jam solide satis supra cap. XXXI. excussimus, nec aliquid Schannato restat, quam ut Clivo Scauri et Suburra demigret. *Clivi Scauri Monasterium S. Andreæ Fulenses* nunquam habuerunt. *Monasterium S. Andreæ ad montem Exquelinum* an unquam extiterit, haec tenus ignoratur; hodie *Ædiculam ibi S. Andreæ in Portugallo* esse scimus. Nec hanc Fulenses possedisse author noster vel unico monumento genuino ostendit; nos vero Scrutarios ibi Patronum suum S. Berardinum venerari et merces suas levidenses venum exponere demonstravimus.

**XXXVII.** De *Cœnobio S. Dionysii in Bantz* fatetur Cl. Schannatus, illud in Dioceſi Wirceburgensi jacere; sed videtur tacite negare, idem de Dioceſi Wirceburgensi esse. Provocat ad Traditionem Fulensem DCXII. qua Alberata Comitissa tradidit Deo et S. Bonifacio Martyri quoddam Monasterium in Banze constructum pro remedio animæ ſue et defuncti mariti ſui ac filiorum, et hoc tantum ab Egberto Abbe Fuldenſi expetiit, ut in eodem Monasterio secundum Regulam S. Benedicti Monachos institueret, ceteraque Regule congruentia adaptaret. Traditionem hanc suscepſe dicitur *Gerhardus Advocatus Fulensis Monasterii*. Cl. Schannatus hoc Monasterium diu post ejusdem instaurationem ab Ottone I. Sancto Bambergensi Episcopo circa annum 1120. factam, adhuc juris fuisse Fuldi, arguit ex silentio Ebirhardi Monachi, qui sub annum 1160. illas donationis tabulas una cum reliquis in Chartarium suum Fuldense referens, nullius interjectæ mutationis meminerit. Banzense Monasterium a S. Ottone Episcopo Bambergensi instauratum esse, ex literis consolatoriis, Abbatibus Monasteriorum per ipsum fundatorum missis, manifestum est, quæ in Andreæ Vita S. Ottonis lib. V. cap. 59. extant. *Banzense vero Monasterium*

Monasterium S.  
Andreas  
Romæ  
Fulenses  
habuisse  
nondum  
ostenſum  
est.

Monasterium Ban-  
zense fuit  
et est Dio-  
ceſis Wir-  
ceburgen-  
sis.